

L. B. T.

1670

Joannis Binderi Trup.

Empt. d. 48.

Matth. Goldenes Trup.

1692

Consignatio Libri ex emitt. a
Joh. Bindero Rest. Trup.

1. Testamentum Latinum Besa.
2. Theologia in Gre. in Ato ...
3. Opusculum Metaph. Albrichtij in Ato
4. Felicitationes Logica in Ato
5. Logica Albrichtij in Ato
6. Logica Numaale Scharffij in Ato
7. Compendium Fluxeri in Ato
8. Gemma Questionaria ex Synopsi Log. Albrichtij in Ato
9. Argum. Objectiones & Distractioes Theol. in Ato
10. Jacobi Welleri Gramm. Graeca in Ato
11. Enchiridion Oratorium f. Thraferi in Ato
12. Exegepsi August. Conf. in Ato
13. Gram. Hebraea Script. in Ato



Roth 302.

14
9
15

Cum amarissimum veris tempus iterum
cadit, & prata cum sortis fulvisq; variis or-
nentz floribz, ego quoq; ne inanis, & otiosz
naturali revirescentis sim spectator, amari-
tate tanta commotus in flor contemplan-
nem me accingo: Cumq; pra reliquis oibz
unicè mihi arrideat flor ille ocellz, Rosa
placuit eam quoq; eligere & juxta decu-
plum predicamentor numer ejus nam de-
scribere, coepis annuat D. Alem. faxitq;
ut quotannis talibz meditationibz Ver ce-
lebremus, quo perpetuè aeterna felicitatis
Ver vita sancti celebrare possimz.

A Substantia.

Consideranti mihi Rosam raone sua essen-
tia, occurrit ipsam non ee accidens, sed Sub-
stantiam, cum per se subsistat, nec in alio sit,
tangam in Subjecto. Estq; Substaa non
Prima, sed Secunda, quia in Predicamento
Substaa non individuum sed speciem, & quidd
Specialisimam absoluit. Proximuz genus est
Flos, remotum, corpus animatum, summum
Substaa. Differentia specifica latet, acci-
dentalis ergo substituit, desumpta partim
a causa



à causa Efficiente adaequata, fructus scilicet à radice ad cacumen usq. circum circa spinis ornato: partim ab adjuncto Temporis Verni: partim ab effectis. & usu odore scilicet suavissimi: 1.

Individua ejus pronomine demonstrativo signantur v.g. Haec, illa, ipsa, Rosa. Cumq. sic potissimum queratur, an res sit, & quid sit. Existentiam Rosa cum nemo neget, ego etiam argumentis adspicere nolo. Quid vero Rosa sit, id ex jam dictis facile potest erui. Rosa scilicet est flos fructus à radicibus ad cacumen usq. spinis circum circa instructi, tempore verni florens, & odore exsibens suavissimus.

Substantiam excipit Quantitas

Ista vel è continua v. discreta.

Rosa Quantitatem habet continuam, in agnitudine scilicet & rotunditate, quae exaequat magnitudinem Talen: petiolis, cujus beneficio in Roseto fixa est, est subtilis, & quandoq. digitorum longus, quandoq. brevior conspicitur. Folia habet plurima, figurae cordis representantia, inter quae & petiolum rotundus jacet globulus, magnitudinem, Rosetum autem raro

raro ad altitudinem vitium, nunquam supra eam exerescit.

3. Juxta Qualitatem.

Rosa diverso respectu ad singulas Qualitatis species, potest referri. Nam 1. Habet potentissimam naturalem purgandi, refrigerandi & corroborandi; Aene 2. flos est Medicis gratissimus, & utilissimus, utpote, qui de ea, peculiarem quendam Sibilum conscripserunt, in quo docet quomodo exinde Syrupi & varia condimenta adhibito Zaccaro, Melle, Aqua, Vinis, Acetog. preparari debeant.

Qualitatem efficientem Rosarum in eos habent, quod recentiores mirifice nos oblectent, colore & odore, dantur in alba, rubra, & flammæ; ubi in locum habere nequit fabulosa illa Poëtarum Metamorphosis, quae fingunt, Rosas albas exinde esse commutatas, quod sanguine Venereis Adonidem per rosas insectantis asperse fuerint, cum & Adonis & Venus ipsa mera sint figmenta. Hortulani luteas in

Rosas in exterioris oris, producere norunt, traducendo scilicet furculam ex Roseto albo in stirpem geristam. Saporem Rosae habent subamarum, folia sunt molissima, ita ut minimo tractu facile laedant. Rosa alba, virides, etiam reddi possunt, fumi subjuveri auxilio. A Figura expressim sub Quantitate

Ex Relatōne certum est, nobilissimam
sane florū speciem non somnium incedit, sed
Plasmatoris Suius universi creaturā esse,
cum mundo comproductam, omnipotente voce
Fiat. Cum a Roseto dependeat Rosa eun-
dem Sae ad illud habet respectum, qui inter
causam & effectū dat; Unde statuendū utram
relatōnem, quā Rosa & ad Creatōrem est cre-
atura, & ad Roseum, ut effectus refert, de
transcendentalem. S.

Actio sequit, quā v. immanens, v. transiens,
Rosa juxta potentias superius traditas, va-
rias edit actiones, easq; transeuntes; nam
purgat, refrigerat & corroborat. Cum fito.
debito modo pro conditione Subjecti usurpat.

Passiones etiam plures pati cogit, Rosa,
quā in oblectandū & usum hominū nata
est, carpit, in serba ligandō transfert, aut siā
medicamenta tradat, pisillis confundit,
cum variis rebus commiscet, & quandoq; seruo
rem ignis experiri necessū habet.

I.
Quando autem Rosa florent, nemo ignorat,
nempe int, tempore verno in Majo scilicet &
Junio, interdū tamen & sub autumnū, cū
scilicet calidior aura spirat, Rosas habem.

Ultra

Ultra oledū vix durare possunt; tres n̄
vel quatuor soles perpeſſae, folia amittunt
& deformant, ipsa Roseto & verno & au-
tumnali tempore, hoc tamen lūius meli-
usq; translocant. 8.

Ad Ubi Rosarum quod attinet, comper-
tum habem rosula in fundo, aut nimis uri-
do, aut nimis arido, consistere posse, sed af-
fectari Sole Orienti obiectū, optimi & me-
dioei humiditate praeditū, unde nisi quoad
ennis quolibet sercorant, Rosas quidem
edunt, sed tamen aut rariore, aut tenuio-
res, easq; parū fragantes.

9.
Quoad Situm Rosa pendula ē, quasi facie
vel soli obiceret, vel terram versus inclina-
ret, Rosetū stat erectū, radicib; in terram
defossis.


10.
Habitu tandem Rosa si spectem, folia
ejus quasi subtile candidumq; limbum
& splendidior purpurā adiacet. Cum ipsa
omnam ornatum extrinsecū respuat, non i-
deo in serbis cū aliis florib; jungit, ut
ipsa pulchrior appareat, ver̄ ideo ut flores
reliqui per ipsam rosā adiacentiā pul-
chrioris & splendidiores evadant.

Conclusio

Conclusio.

Atq; sic sunt, quae verno hoc tempore de
Bemalte Substaali: rosa se. à medicis po-
tuerunt. Erant quidem plurima ad huc
ad manus, quae huc inferere potuissem,
verum obstantibus aliis negotiis, & pau-
cula hoc sufficere, candidumq; lectorem
(malevolum attrahere) qui ex rosis etiam
veronum solit legere non curat) aliquan-
tisper poterunt recreare.

Pro clementi vero assistentia Senatoris
nostri summas ei ago grâs, obnixè pe-
tens, velit deinceps etiam Lutheranam
Ecclesiam, quae vobis rosa inter spinas, ejus-
dem sponsa & amica est, deinceps etiam
sibi commendatam habere, eamq; vobis
suo plantare, sacramentis irrigare, tan-
dem in amoenissimum Paradysi ortum
translocare. Pmis.



GEMMA
QUESTIONARIA,
ex
Synopsi Logicâ
ADMODUM REVERENDI
& Clarissimi Viri,
D. M. MARTINI
ALBRICHI,
PASTORIS ECCL. ROSON.
famigeratissimi & præcellentissimi,
excerpta,
& THESIUM loco
in Illustri Coronensium Gymnasio
exhibita.
PRÆSIDE
M. JOHANNE GORGIA P. &
RECTORIS Scholæ Coronensis.
&
RESPONDENTE
GEORGIO MATHÆSIO Sarkanyio,
Scholæ Coronensis Alumno.
ad diem Aprilis, horâ locoq; solito.
CORONÆ,
Typis HERRMANNIANIS, mandavit
Nicolaus Molitor, Anno 1679.



GEMMA
QUESTIONARIA,

^{ex}
Synopsis Logica

AD MODUM REVERENDI
& Clarissimi Viri,

D. M. MARTINI
ALBRICHI,

PASTORIS ECCL. ROSON.
famigeratissimi & præcellentissimi,

excerpta,

& THESIUM loco

in Illustri Coronensium Gymnasio
exhibita.

PRÆSIDE

M. JOHANNÉ GORGIA P. &
RECTORE Scholæ Coronensis.

&

RESPONDENTE

GEORGIO MATHÆSIO Sarkanyio,

Schola Coronensis Alumno.

ad diem Aprilis, horâ locoq; solito.

CORONÆ,

Typis HERRMANNIANIS, mandavit
Nicolaus Molitor, Anno 1679.



AD MODUM VENERABILI AC
CLARISSIMO VIRO,

D. M. IOHANNI
HONTERO,

PASTORI ECCLES. CATHE-
dralis CORONENSIS Supremo, longè
exoptatissimo, ut & Inspectori Gymnastii oculo-
tissimo & fidelissimo.

DOMINO MOECENATI, PRÆ-
ceptoris, ac Promotoris Studiorum meo-
rum fidelissimo & observandissimo. Primum istud
Studiorum meorum exile Specimen presentè, non al-
lium in finem, nisi ut aliquod tantorum in me loca-
torum beneficiorum Mnemosinon debita gratitudi-
nis ostenderem, eum appreciatione perennis fe-
licitatis.

DEUS CONSERVET V. V. CL. IN BO-
nà ac prosperà valetudine, adjuvet in Officio, ornet in
Foro, ut crescat in Choro, & exultet in Toro, hoc-
què ut boni consulat, oro.

V. V. CL. addictissimus

RESPONDENS.



DISPUTATIO.

Q. 1. An voces Logica & Dialectica possint
haberi pro Synonymis?

R. Vi Notationis disconveniunt, ex usu autem Phi-
losophico possunt haberi pro Synonymis.

Q. 2. An Logica sit Ars, definiendaq; per Artem?

Affir. 1. Quia Logica est Habitus cum recta ratio-
ne effectivus. 2. Quia competit ei Definitio Artis;
Ergo & Definitum, quod est Ars.

Q. 3. Quodnam sit objectum Logica?

R. Aliud est operationis, ut sunt omnes res seu
conceptus de rebus formati. Aliud Considerationis,
quod est modus sciendi seu Indagandi veritatem.

Q. 4. Quis sit finis Logica?

R. Finis Logicae est vel Internus, qui est cognitio
practica, modi Indagandi Veritatem; vel Externus,
qui est Veritatis Cognitio.

Q. 5. An Logica aliis Disciplinis Philosophicis
sit necessaria?

R. Utiq; est necessaria, licet non ad Constitutio-
nem; Sed tamen, & quidem in Statu perfecto ad ac-
quisitionem.

Q. 6. An Logica sit Pars Philosophia?

R. Utiq; quia prosequitur amorem Sapientiae,
qui nihil aliud est, quam Philosophia. Ast & hoc cer-
te respectu dicitur, quatenus est manus Philosophiae.

LIBER PRIMVS.

De Termino.

Q. 1. *An voces Extra Enuntiationem posite, rectè appellentur Termini?*

R. Vi Notationis tantum sunt Termini, qui in Enuntiatione ponuntur; Sed ex usu Philosophico etiam dicuntur Termini, quia aptitudinem prædicandi habent; v. quia actu terminant Enuntiationem.

Q. 2. *An Logica sit agere de Terminis?*

R. D. inter tractationem terminorum purè Materialem, quo modo Grammatica agit de Terminis; & Formalem, eamq; absolutam & respectivam, utroque modo agit Logica de Terminis.

Q. 3. *Quanam sint Causa ambiguitatis?*

R. 1. Necessitas. 2. Ornatus.

Q. 4. *Quid requiratur ad Vocem Ambiguam?*

R. 1. Vocis Identitas, non tantum ratione soni, sed etiam ratione Accidentium Grammaticorum. 2. Communitas ejusdem Vocis ad significandum confuse & indeterminatè res definitione diversas.

Q. 5. *An terminus Ambiguus Consilio sit verè Ambiguus?*

R. Terminus Ambiguus Consilio v. significat Absolutè, & sic semper stat pro significato famosiori; sic homo semper significat animal rationale. v. Respectivè; & sic aliquando ex similitudine & proportione æstimatur.

Q. 6. *An Substantia dicatur de DEO & Creaturis equivocè?*

R. Ne-

De Deo per prius, de creaturis per postrius.

R. Nequaquam; Nam æquivocè tantum Nomen communicant, Substantia verò & Nomen & Definitionem Deo & Creaturis communicant.

De Termino Reali, &c.

Q. 1. *An vile sit tradere distinctionem termini, in Realem & Notionalem?*

R. Utique, quia non parum facit ad solvenda Sophismata.

Q. 2. *An & quomodo Terminus Infinitus differat à Negativo?*

R. Utique differt. Quia Negativus purè negat, ut: *Asinus non est lapis*. Infinitus verò etiam Indeterminatè affirmat aliquid, ut: *Asinus est non lapis*. Sensus est, 1. *Asinum esse aliquid*. 2. *Quòd non sit lapis*.

Q. 3. *Quid requiratur ad terminum Privativum?*

R. Tria. 1. Negatio s. Carentia. 2. Formæ s. rei, quæ de jure debet inesse vel adfuisse. 3. In Subjecto habili.

De Termino Singulari, Composito, Synonymico, Analogico, & Paronymico.

Q. 1. *An Singularia sint Termini Logici?*

R. Utique; Quia unum quid certum menti directè significant. Considerantur tamen non in actu Exercito seu in specie; sed in Actu Signato, i. e. in genere.

Q. 2. *An Deus sit Singulare s. Individuum?*

R. Utique; Quia Deus non est pluribus communis Essentialiter distinctis. Ergo &c. Cautè tamen hic semper loquendum.

Q. 3. *An*

**Q. 3. An Petrus, Jacobus &c. sint termini
verè singulares?**

R. Absolutè sumpti non sunt termini Singulares, sed cōmunes & Paronymici; Sed restricti per particulam individuificantem. Sic sunt termini singulares.

Q. 4. An Singularia sint communicabilia?

R. Sunt 1. Effectivè, sic Pater cōmunicat Essentiam Filio. 2. Subjectivè, sic Petrus cōmunicat se risibilitati. 3. Quidditarivè, non ut Quod, sed ut Quo, ut anima homini.

**Q. 5. Quomodo differant inter se Synonyma
& Analoga?**

R. Essentialiter utrumque communicat essentiam suam inferioribus suis; Sed Synonyma æqualiter, Analoga verò inæqualiter.

**Q. 6. An Substantia Ens & Spiritus predicantur
Synonymicè v. Analogicè de Deo & Creaturis?**

R. Synonymicè non dicuntur, sed Analogicè, quia intercedit dependentia in esse & fieri, quæ inæqualitatem infert.

Q. 7. Quid requiratur ad Paronymum?

R. Tria. 1. Denominans ut albedo, 2. Denominatum ut homo, 3. Denominativum ut Albus.

**Q. 8. An Deus & homo sint Paronyma, quando
in Christo de se predicantur?**

R. Neque intra neque extra Christum sunt Paronyma; Nam Substantiva præferim Substantialia si absolutè s. in Unionem considerata fieri non possunt sibi mutuo Paronyma, sed pro rebus disparatissimis habentur. Si tamen dandum esset, esse Paronyma, erunt ea mystica ob summam singularitatem & perfectionem excedentia.

De Ge-

De Genere &c.

Q. 1. An Genus in Una specie conservari possit?

R. Potest, etiam si non semper ratione Existentiæ, tamen ratione Essentiæ.

Q. 2. An Deo conveniat Genus?

R. Non convenit Deo aliquod Genus Synonymicum, sed Analogicum. Seu Propinquum Genus Divinus non habet, licet habeat remotum.

Q. 3. An Ens sit genus Substantiæ & Accidentis?

R. Neg. Nam nihil est in Substantia & Accidente quod non sit Ens. In omni autem specie est aliquid, quod non est in genere. Ergo Ens est solummodo conceptus Communior & Transcendentalis.

**Q. 4. An Negationes & Privationes possint esse
genera?**

R. Genus debet esse res Positiva; At Negationes & Privationes non sunt res Positivæ. Ergo etiam non possunt esse genera.

Q. 5. An Analogum Genus sit verum Genus?

Dist. inter genus rigosè dictum, quale Analogum genus non est. Sed tantum latiori sensu dicitur genus imperfectum & 2dario tale, quatenus generis rationem subit.

De Differentia.

Q. 1. An primum agendum de Differentiis?

R. Affirmatur. Nam Differentia constituit Speciem. Ergo ordine naturæ præcedit.

**Q. 2. An ulla Differentia specificæ habeamus
cognitas?**

R. Præter Hominis Differentiam scilicet rationis.

ita.

licitatem nullam habemus Cognitam; reliquæ Differentiæ explicantur ut plurimum per proprietates naturales.

De Specie.

Q. 1. *An Definitio Speciei sit bona?*

R. Utique, quoniam nihil in ea desideratur, hinc ergo Verba: Pluribus Numero differentibus non debent addi, nam in Divisione elucescunt.

Q. 2. *An Species sint, Sol, Luna & Terra?*

R. Dist. inter Speciem propriè dictam & Monadicam: Isto modo sunt Species, nam tantum unum Individuum habent actu, quorum tamen plura existere non repugnat, si Deus veller.

Q. 3. *An Individuum recte dicatur specialissima Species?*

R. Neg. Quia ad Naturam Speciei non est commune pluribus. Ergo &c.

Q. 4. *An Species in uno Individuo conservari possit?*

R. Dist. inter Conservationem ratione Existentiæ, & sic non potest, vel ratione Essentiæ, & sic potest.

De Proprio.

Q. 1. *An bene stantur 4. esse Modi Proprii?*

R. Populariter loquendo admitti possunt, sed accuratè non.

Q. 2. *An Propria possint separari à suo subjecto?*

R. Dist. inter propria Prædicamentalia & Transcendentia. Illa possunt separari, quamvis non naturaliter & illæis subjectis, supernaturaliter verò simpliciter separari possunt.

Q. 3. *An*

Q. 3. *An Propria unius Subjecti possint communicari alteri?*

R. Non possunt immediatè scilicet absq; Subjecto, & ad inhætionem. Possunt tamen mediatè Com. cum Subjecto ad denominationem & usurpationem.

Q. 4. *An communicato uno propriorum, necessario communicentur & alia omnia propria ejusdem Subjecti?*

R. Dist. inter præsentiam, quomodo uno propriorum communicato, communicantur & reliqua, non tamen ad usurpationem statim & denominationem.

De Accidente.

Q. 1. *An bene dividatur Accidentis in Separabile & Inseparabile?*

R. Utique, Quia Accidentis natura per hanc divisionem commodè explicatur.

Q. 2. *An Accidentis Inseparabile idem sit quod proprium?*

R. Aliquando æstimatur hoc Accidentis ex separandi impossibilitate, quâ naturæ vires, & sic est propriissimè dictum Proprium. v. ex Separandi difficultate, & sic merum Accidentis est: Nam quod difficulter separatur, tamen adhuc Separabile est. &c.

De Abstracto & Concreto.

Q. 1. *An Concretum idem sit quod Paronymum?*

R. Non: Nam omne quidem Paronymum est Concretum, sed non Contra.

Q. 2. *An*

**Q. 1. An Abstractum & Concretum differant
realiter?**

R. Dist. inter Abstracta & Concreta Physica & Me-
taphysica; Hæc non differunt realiter, sed illa, ha-
bent se n. per modum Materix & Formæ.

**De Termino Complexo & Incom-
plexo.**

**Q. 1. An terminus vocæ & res simul Complexus,
sit terminus Logicus?**

R. Complexus terminus plures res significat, non
ut multas, sed ut unum quiddam, ad unum enim
significandum ejus voces ordinan-

tur.

F I N I S.



I. N. J. C.
DISPUTATIO II.
De
Prædicamentis.

Quam
D. E. O. Opt. Max. fortunante,
&

PRÆSIDE
M. JOHANNÉ GORGIA P. &

RECTORE Scholæ Coronensis.
defendet

GEORGIUS LEPS, Bistriciensis,
Scholæ Coronensis Alumnus.

ad diem Aprilis, horâ locoq; solito.

CORONÆ,
Typis HERRMANNIANIS, mandavit
Nicolaus Melitor, Anno 1679.

Admodum Venerabili ac Clarissimo Viro,
DN. STEPHANO DECANI,
Pastori Eccl. Bistriciensis vigilantissimo,
ut & **DECANO** ejus Capituli spectatissimo,
olim Præceptori mihi singularitèr co-
lendo, nunc verò Fautori ac Amico
suspiciendo.

Ut &

Reverendo, Dignissimo, atq; Doctissimo
Viro,

DN. JOHANNI SCHULLERO,
Pastori Eccles. **L A T I N.** fidelissimo,
Amico mihi cordicitus amando.

HOC EXILE INGENII SPECIMEN,
in spem futuri Patrocinii,
cum appreciatione perennis felicitatis,
humillimè dedicat
& consecrat
V. R. Clar. & Dign.
officiosissimus

R E S P O N D E N S.



DISPUTATIO II.
De
Prædicamentis.

Q. 1. *An Logica sit agere de Prædicamentis?*

R. Utiq;e, pertinent n. ex parte ad modum inda-
gandi veritatem, qui sine eis perfectè non potest ab-
solvi. Ergo Logica agit de Prædicamentis, & quidem
accuratè.

Q. 2. *An in Prædicamentis agatur de rebus, vel
verò de vocibus?*

R. Agitur de rebus per se & primariò, de vocibus
verò per Accidens & 2dariò, quatenus res significant.

Q. 3. *Quomodo de rebus agatur in Prædicamentis?*

R. De rebus agitur in Prædic. non ut ex sua natura
cognoscantur, sed quòd per genera & species dispo-
nantur.

Q. 4. *An plura v. pauciora Prædic. sint quàm Decem?*

R. Non sunt plura, nulla n. res in tota natura da-
tur, quæ non ad horum aliquod Prædicamentorum re-
ferri possit. Si verò unicum solum omittatur, bene
multæ res excluduntur.

Q. 5. *An Accidens sit genus Quantitatis,
Qualitatis &c.*

R. Neg. Nam nihil est in Quàtitate, Qualitate &c.
quod non sit Accidens. Sed est conceptus quidam com-
munior, qui p. Quantitatem, Qualit. &c. exprimitur.

*

De

De Substantia.

Q. 1. *An Substantia deriveur à Subsistendo, an verò à Substando?*

R. Substantia melius derivatur à Substando, nam omnis Prædicamentalis Substantia propriè substat accidentibus, & contradistinguitur Substantiæ Transcendentali.

Q. 2. *Quomodo dicitur Substantia esse Ens per se Subsistens?*

R. Per se subsistere non opponitur ei, quod est cum alio, sic causa solitaria agit sine alio. 2. Nec ei quod est ab alio, quò sensu solus Deus per se subsistit. Nec 3. ei quod est ex alio, quomodo Spiritus per se subsistunt. Sed 4. ei, quod est in alio, tanquam in Subiecto, non ut pars rei, sed ut non possit esse sine eo, in quo est.

Q. 3. *An Deus in Prædicamento Substantia collocandus sit?*

Neg. 1. Nam Deus non est Genus, nam Genus à sua Differentia accipit aliquam perfectionem, at repugnat Deo aliunde sumere perfectionem. E.

2. Nam Genus est informe & potentiale quid. At Deus est actus purissimus, & omnis Potentiæ expertus. Nec est Species, nam hæc ex Genere & Differentia constat. At Deus ceu summè perfectus, simplicissimus, supremus, nec habet Genus, nec Differentiam. E.

4. *Quicquid est, v. Substantia, v. Accidentis est.*

Sermo est de Ente Reali & Positivo, non de medio Entis,

Entis, qui vel indifferentes Enti ut sic, vel ad Substantiam & Accidentis reducuntur.

5. *Substantia non est in Subiecto.*

Scilicet inhesionis; utut adhesionis, informationis vel prædicationis.

3. *Sublatis Substantiis Primis, tolluntur & Secundæ.*

Nam primæ Substantiæ sunt Fundamentum Secundarum. Sublatis itaque omnibus primis, tolluntur & secundæ.

7. *Substantia Substantiæ non est contraria.*

Scilicet immediate & per se quæ Substantia; bene tamen mediatè, per accidens, & ratione Qualitatum.

De Quantitate.

Q. 1. *Qualis extensio hic intelligenda, secundum quam corpus dicitur extensum?*

R. Non intelligenda Extensio entitativa, sed localis, quatenus corpus suum occupat deputatum Spaciū.

Q. 2. *An Tempus sit Quantitas?*

R. Tempus non est Quantitas discreta, ut patet, nec Continua, nam pertinet nec ad Longitudinem, nec ad Latitudinem, nec ad Profunditatem. E. &c.

Q. 3. *An Quantitas Discreta sit propriè dicta Quantitas?*

Neg. 1. nam ex multis Entibus completis non fit unum per se, sed per accidens. At quæ numerantur sunt tale quid. Ergo numerus non est in Prædicamento.

2. Inter quæ nulla est unio, illa non sunt unum per se, ac inter ea quæ numerantur, nulla est unio. E.

3. Numero ratio formalis non competit, nam quæ per numerum numerantur, multiplicantur, & non extenduntur.

Quantitatis nulla est efficacia.

Nam Quantitas insequitur materiam. At materię nulla est efficacia, nam est principium Passivum non activum. E. nec Quantitatis. Sic Magnes trahit ferrum, non propter longitudinem aut latitudinem, sed ob latentem peculiarem quandam Qualitatem. Inteligitur ergo Canon de Quantitate per se, quæ Quantitas est, non quatenus per accidens cum aliis qualitatibus conjuncta est.

De Qualitate.

Q. 1. *An Potentia & Impotentia differant inter se Specie?*

R. Non. Nam Accidentalıs s. gradualis differentia intercedit inter has, h. e. secundum majus & minus, Ergo non differunt specie.

Q. 2. *An Qualitas suscipiat magis & minus?*

R. D. inter Subjecta habilia & Inhabilia. Ratione illorum concedi potest, sed non ratione horum.

Q. 3. *An Habitus etiam in Bruta cadat?*

Quæstio non est de habitibus Connatis, quos Brutis largimur; Sed de acquisitis, quos negamus. Nec etiam Quæstio est de habitu qui peculiare Præd. constituit, ut hirsutum plumatum esse, nec de qualibet perfectione, quæ a natura alicui inesse debet, prout opponitur priva-

privationi; Sed prout notat, habitum acquisitum firmum, per quem subjectum promptum fit ad agendum.

1. Nam in iis non datur Principium habituum. E. nec habitus. Non n. datur in Brutis electio conjuncta cum ratione, nec spontaneitas. E. 2. In Bruta non cadit libertas & Indifferentia ad agendum. E. nec habitus. 3. Nec participant v. de Intellectu v. Voluntate, nam hæ sunt facultates animæ rationalis.

4. *Contrarietas est propria Qualitatum.*

1. Nam in sola Qualitate est motus propriè sic dictus, alteratio nimirum, quæ nova Qualitas in Subjectum introducitur: Omnis autem motus est inter Contraria, terminum nimirum à quo & ad quem. 2. Solæ Qualitates in se invicem sunt activæ & Passivæ.

5. *Qualitas non intenditur nec remittitur.*

De Relatione.

Q. 1. *Quot requirantur ad Relationem?*

R. 1. Subjectum in quo est Relatio, ut homo. 2. Fundamentum, quod est causa Relationis, ut generatio. 3. Relatum à quo recipit relationem, ut Pater. 4. Correlatum, quod est Filius.

Q. 2. *An Presentia & Contactus localis ad naturam relatorum præcisè necessarii non sūt?*

Non quæritur hic de Relatis Rationis & secundum dici tantum talibus; sed de Realibus & secundum esse talibus. Disting. quoque inter genera Relatorum, quædam n. ad suum respectum s. habitudinem requirunt.

1. necessario, absentiam, ut spes & speratum, Typus & Anti-

Antitypus, Locus supremus & Infimus. 2. quædam necessariò præsentiam significantem requirunt, ut omnia *Unita*, v. *unione Physicâ*, ut *Continens & Contentum*, v. *Unione Hyperphysicâ*, ut inter DEUM Patrem & Filium, v. *Hypostaticâ*, ut inter Verbum & Carnem, v. *Parastaticâ*, ut inter DEUM & Sanctos, v. *Mythicâ & Sacramentali*, ut inter Panem Eucharisticum, & Corpus Dominicum. 3. Quædam sunt intermedii generis, quæ ad suam habitudinem, nec absentiam, nec præsentiam requirunt, ut inter Patrem & Filium, Sponsam & Sponsam. Ex quibus sequitur, quod Præsentia non-localis Calvinistica nulla sit. Quæstio probatur 1. nam dantur Relata, quæ præsentiam non semper requirunt, ut Exemp. Parentum & Filiorum patet. 2. à vita æternâ omnibus credentibus promissâ. Jam verò promissio & res promissâ sunt relata, si verò & hic requiritur præsentia, actu sequitur nos esse in Cælo, quod falsum. 3. A Sanguine Christi in V. T. præfigurato, nam Sanguis Victimarum V. T. & Sanguis Christi sunt relata, nec tamen præsentiam mutuam requirebant. 4. Præsentia se ad Relata non habet cœ essentialia consequens, nam Relatum ad suum Correlatum refertur, non propter præsentiam, sed ob mutuam habitudinem; non cœ essentialia Consequens, nam sic nulla posset esse præsentia nisi Relativa, quod falsum.

3. Relata sunt simul naturâ.

Relata scil. non *transcendentalia*, sed *Prædicamentalia* sunt simul, non quoad esse *Absolutam* & *materiale*, sed quoad esse *respectivum* & *formule*.

4. Cogni-

4. Cognitio unô Relatorum cognoscitur & alterum.

Si non semper cognitione distinctâ, sufficit si confusâ.

De Actione & Passione.

Q. 1. *An Actio & Passio constituent duo distincta Prædicamenta?*

R. Utiq̄ue, alio enim modo denominat Substantiam Actio, alio Passio. Ex denominatione verò istâ oritur numerus Prædicamentorum. Ergò distincta sunt Prædicamenta.

Q. 2. *An Actio & Passio differant realiter?*

R. Non differunt realiter, sed ratione tantum termini à quo & ad quem. Ergò ratione tantum differunt.

3. Actiones & Passiones sunt Superpositorum.

Scil. ut *Quod*, non præcisè & necessariò ut *Quo*.

4. Passio non recipitur tam per modum agentis, quàm per dispositionem patientis.

Valet Canon de agente *naturali*, non *Supernaturali* aut *praternaturali*.

5. In DEUM nulla cadit Passio.

Passio Objectiva DEO quandoque tribuitur, aut realis ei per se & ratione Essentia tribui nequit, sed tantum per aliud & ratione *œconomia*.

6. Distin-

6. *Distinctio temporum non tollit
æternitatem.*

Assignatur quidem æternitati tempus; Sed non per
se & determinatione intrinsecâ, verùm per Accidens
& determinatione extrinsecâ.

7. *Nulla Creatura potest esse ubique.*

Scil. naturaliter & virtute naturæ, benè verò Super-
naturaliter & virtute ipsius DEI.


8. *Situs omnibus & Solis Corpori-
bus competit.*

Primariò quidem iis, quæ heterogeneas; secunda-
riò verò iis, quæ homogeneas habent partes.

9. *Habitus mutatio nullam rei mu-
tationem inferre.*

Scil. Internam; licet ab externo Substantiam
denominetur.

F I N I S.



DISPUTATIO III.

De

Enunciatione.

Quam

DEO Ter Opt. Max. favente,

in

Illustri Coronensium Gymnasio,

PRÆSIDE

M. JOHANNÉ GORGIA, P. &

RECTORE Scholæ Coronensis,

in Eruditorum Confessio

defendet

RESPONDENS

MARTINUS JUNG *Purimontanus,*

p. r. Gymn. Coron. Orator, ejusdemq;

Alumnus.

ad diem 13. & 26. Maji, horâ locoq; solito.

CORONÆ,

Typis HERRMANNIANIS, mandavit

Nicolaus Molitor, Anno 1679.

*Generosa spei Adolescentulis, Magnorumq;
Parentum optimis-Filiolis,*

JOHANNI DEIDRICIO,
MARCO WOLFFIO,
CHRISTOPHORO GREISSIN-
GIO,
SIMONI-PETRO FRONIO,
Coronensibus.

Discipulis nuper lectissimis, charissimis,

S. P. D. M. J. P. S. C. O.

Jungere si quando satagis, dilecta quadriga
Discipulorum olim, Logicum cum nomine Verbum,
Et junctum dissolvere; solve, revolve Libellum
Hunc, sic obscuri sinuosa sophismata sensus,
Et laqueos animi tam solve mente sagaci,
Quam Logici causas. Quæsi reddere disces.



DISPUTATIO III.
De Enuntiatione.

Q. 1. *Quomodo resolvenda Enuntiationis Definitio?*

R. Enuntiatio est Definitum. In Definitione occurrunt Genus, quod est Oratio. Et Differentia, quæ est, dicere determinatè verum vel falsum de aliquo.

Q. 2. *An idem sint Enuntiatio, Propositio, Axioma?*

R. Propositio extra Syllogismum spectata non differt ab Enuntiatione; Sed Axioma differt ab Enuntiatione tanquam Species à Genere.

Q. 3. *An Oratio sit legitimum Genus Enuntiationis?*

R. Affirm. Nam prædicatur de Enuntiatione tanquam de pluribus specie differentibus proximè & immediatè in Quid. Non enim æstimanda Oratio ex vi notationis; sed ex usu Philosophico, & quidem tam Oratio interna primariò, quam externa secundariò intelligenda venit.

Q. 4. *An legitima Enuntiationis Differentia sit, Dicere determinatè verum vel falsum de aliquo?* R. affirmatur. Nam veritatis manifestatio est finis omnium instrumentorum Logicorum. Dicere a. de aliquo verum vel falsum determinatè primariò, per se proprium Enuntiationis est. E.

Q. 5. *An omnis Enunciatio debeat tantum duobus terminis constare?* R. Non: quia & Enuntiationes compositæ Syllogismum ingrediuntur.

Q. 6.

Q. 6. *An copula sit pars Enunciationis?* R. Non: quia non est terminus Logicus, multò minus pars Enunciationis: scil. explicitæ, non implicitæ.

Q. 7. *An sit pars Prædicati?* R. Neg. Si n. esset pars Prædicati, E. & Enunciationis. At. E. Nam copula est unio inter Subjectum & prædicatum, quæ utrumque æqualiter concernit. Jam meritò à Subjecto vel prædicato divisa amplius nec copulæ nomen habet.

Q. 8. *An hic agendum de Nomine & Verbo?*

R. Nomen & Verbum Grammaticæ relinquimus, & prædicati & subjecti Terminos tanquam magis utatiores substituimus.

De Divisionibus Enunciationis.

Q. 1. *An bene dividatur Enunciatio in Simplicem & Compositam?* Utiq̃ue, quia & conditionales dicuntur verum vel falsum de aliquo, si non quoad antecedens, tamen quoad consequens, & Disjunctivæ cum disjunctione.

Q. 2. *An Composita bene divisa sit in conditionalem Disjunct. &c.?* Utiq̃ue, quia in hac Divisione nihil deest, nihil abundat. E.

Q. 3. *An composita reducenda sint. ad simplices?* R. Affirm. nam Compositæ sunt imperfectæ. E.

Q. 4. *Quomodo reducenda sint composita ad simplices?* R. 1. *Conditionalis* affirmans ad universalem affirmantem, & negans ad universalem negantem. 2. *Copulativa in materia necessaria* affirmans ad universalem affirmantem, & negans ad universalem negantem; *in materia a. contingenti* ad particulares. 3. *Disjunctiva*

Etiva affirmans ad universalem negantem. Negans ad universalem v. particularem negantem. 4. *Relativa* plerumq̃ue ad indefinitas.

Q. 5. *An Disjunctiva sint, quando Genus distribuitur in suas species?* R. Nequaquam: Nam in talibus non distinguit, d. copulat utrumque membrum cum Subjecto. At in Disjunctiva semper debet esse una vera, altera falsa.

De Enunciatione Affirmativa & Negativa.

Q. 1. *Qui fiat, quod apud Latinos una negatio neget, duæ verò affirment?*

R. Duæ particulæ negativæ se enervant & vim suam non in copulam reservant; Sed una directè fertur in copulam; at apud Germanos non.

Q. 3. *Qui fiat, quod tres negationes unam tantum faciant negationem?*

R. Duæ proximæ negationes se ipsas offendunt; tertia a. sine impedimento in copulam fertur.

Q. 3. *An Enunciationes ^{Exclusivæ} ~~negativæ~~ sint vera negativæ?*

R. Negantes sunt, nam quando resolvuntur, prior pars sit universalis Negans, posterior affirmans.

De Enunciatione Pura & Modali.

Q. 1. *An Doctrina Modalium sit necessaria cognitiva?*

R. Utiq̃ue, si non propter adversarios, qui hanc doctrinam non tam utuntur, quam abutuntur, tamen ob quorundam Sophismatum solutionem.

Q. 2.

Q. 2. *An plures sint. Modi Enunciationes modales con-*
stituentes, quam quatuor enumerati?

R. *Materiales* plures esse possunt; *Formales* verò non nisi quatuor. *Verum* verò & *Falsum*, non sunt modi, sed res substratæ.

Q. 3. *An idem per omnia sensus sit modalium*
compositarum cum Diviſis?

R. Utique. Nam idem sensus & idem termini sunt in modalibus compositis, qui in Diviſis. E. In eo autem differunt, quòd sensus compositarum tam clarus non sit, quam Diviſarum.

De Exponibilibus.

Q. 1. *Quomodo exponenda sint Exclusiva?*

R. *Exclusivæ puræ affirmantes vera*. v. g. Solus homo est risibilis; h. m. Homo est risibilis, & quod homo non est, risibile non est. *Negantes* verò, v. g. Non solus homo currit; h. m. Homo currit, & aliud adhuc ab homine currit. *Puræ affirmantes falsa*, expositionem nullam admittunt; *Negantes* verò *falsæ*, v. g. Non solus homo est bos; h. m. Homo non est bos, d. aliud præter hominem est bos.

Q. 2. *An Exclusiva Negati signi semper sint*
virtute affirmantes?

R. *Exclusivæ negati signi*, si puræ affirmantes sint, veræ, exponuntur per duas puras unam affirmantem, alteram negantem. *Falsæ* verò, v. g. Solus Pontifex est infallibilis in definiendo; h. m. Pontifex non est infallibilis in definiendo; Sed alius præter Pontificem.

Q. 3.

Q. 3. *Quomodo exponenda sint Exceptiva?*

R. *Exceptivæ propriæ affirmantes*, v. g. Omne animal præter hominem est irrationale; h. m. Omne animal quod non est homo, est irrationale. *Negantes*, v. g. Nulla Substantia nisi materiata est quanta; h. m. Nullæ Substantiæ, quæ non sunt materiata, sunt quantæ. *Impropriæ* ultrò patent.

Q. 4. *Quomodo exponenda Limitativa?*

R. *Reduplicativæ* per *Qui* *specificativæ* verò per *Propter*. v. g. Homo, quâ homo, est rationalis; *Ethiops* quâ dentes est albus. Illa h. m. Homo, quia homo est, est rationalis; ista verò h. m. *Ethiops* propter dentes est albus.

Q. 5. *Quomodo exponenda comparativa?*

R. *Propriæ*, v. g. Aristoteles est doctior Platone; h. m. Aristoteles est doctus, & Plato est doctus; Sed ille magis quàm iste. *Impropriæ* verò, v. g. *Superbia* est melior avaritiâ, cum adverbio *minus*, h. m. *Superbia* est minus mala, quàm avaritia.

De Definita, Indefinita, Univers. &c.

Q. 1. *An signum Omnis, semper reddat Enun-*
ciationem universalem?

R. *Omnis*, sumitur vel *collectivè*, ut; Omnes Apostoli sunt duodecim. Sic non facit Enunciationem universalem, vel *distributive*, & sic vel distribuit in *genera singulorum*, ut: Omne animal fuit in Arca Noë; Neq; sic facit Enunc. *Univers.* Sed quando distribuit in *singula generum*, ut: Omnis homo est animal, sic facit Enunciat. *Univers.*

Q. 2.

Q. 2. *An vox Multi semper excludat
Universalitatem?*

R. Non excludit, d. sæpiùs etiam conſignificat Uni-
verſalitatem, ut: Dan. 12. *Multi ex his qui dormiunt,*
i. e. omnes, item: *Hic ſanguis pro multis effuſus eſt,* di-
citur explicante Scripturá Joh. 2. *prototium Mundi pec-*
catis.

Q. 3. *An, & quomodo, qua exceptionem patiun-
tur, univerſales ſint?*

R. Sine exceptione particulares ſunt; appoſitá verò
exceptione, univerſales ſunt, v. g. *Omnis homo, præter*
Chriſtum, peccator eſt. Univerſalis eſt, quia hic nihil
licet excipere.

Q. 4. *An Singularibus unquam addi poſſint
ſigna Quantitatis?*

R. Singulares termini reſtricti per *hic & iſte,* non
admittunt ſigna Quantitatis; *indefiniſe* verò ſumpti,
admittere poſſunt.

De Neceſſaria & Contingenti.

Q. 1. *An Doctrina Enunciat. Neceſſariarum
hic iradenda?*

R. Utiq̄ue. Sunt enim media ſecundá mentis ope-
rationis. E. etiam meritò hic agitur de Neceſſaria.
Enunciat. quia de diſtinctis diſtinctè etiam agendum.

Q. 2. *Qua ſint conditiones neceſſariæ De omni?*

R. Sunt hæ, 1. *Ut ſit vera.* 2. *Univerſalis,* & ſigno
Univerſalitatis notata. 3. *Ut ſit ſemper vera.* 4. *Ut*
ſit affirmativa, ut: *Omnis homo eſt corpus.*

Q. 3.

Q. 3. *Qua ſint conditiones neceſſariæ per ſe?*

R. Sunt hæ, 1. *ut habeant omnes conditiones neceſ-*
ſariæ De Omni. 2. *Ut prædicatum ſit eſſentiale ſubjecto.*
3. *Ut prædicatum inſit ſubjecto;* non autem *ſubjectum*
Prædicato, ut: *Omnis Aſinus eſt animal.*

Q. 4. *Qui ſint modi neceſſariæ per ſe?*

R. Nos duos eſſe dicimus: Primus eſt, quando
prædicatum eſſentialiter à priori competit ſubjecto, ut:
Omnis homo eſt animal. Secundus, quando prædica-
tum eſſentialiter à poſteriori convenit ſubjecto, ut:
Homo eſt riſibilis.

Q. 5. *Qua ſint conditiones neceſſariæ univerſa-
liter prima?*

R. Sunt hæ, 1. *Ut convenient ei omnes conditio-*
nes neceſſariæ de omni & per ſe. 2. *Ut conveniat præ-*
dicatum ſubjecto, quâ tali reduplicativè. 3. *ut con-*
veniat Prædicatum ſubjecto, primò, primitate non ne-
ceſſariò cauſæ, ſed ſubjecti. 4. *ut manente qualitate*
& quantitate eâdem, reciprocetur prædicatum cum
ſubjecto, ut: *Omnis homo eſt riſibilis,* & *Omne riſibile*
eſt homo.

Q. 6. *Quanta utilitas & neceſſitas hujus Do-*
ctrina, de Modis neceſſariarum ſit?

R. Tam utilis non eſt hæ doctrina, ſed ne videamur
& iſta ignorare, ſubjungenda videbatur.

De Propria, Figurata & Inuſitata.

Q. 1. *An hæ Enunciationes: Deus eſt homo, Panis eſt*
Corpus CHRISTI, ſint propria, vel Figurata,
an verò Inuſitata?

R. Enuntiationes hæ ſunt *propria Rhetorica;* non
verò

verò propriæ *Logica*. Prædicata enim & subiecta earum sunt res disparatissimæ in æternum Logicè in propria significatione affirmativè inter se non disponuntur, ut directè de se invicem enumerentur. Ergò non sunt *Logica*, sed *Rhetorica*. 2. Non sunt *figurata*, quia omnes voces sicut sonant, etiam rem significant. At verò in figurata Enunciatione, nativa significatio tollitur, & substituitur alia, quod hîc non fit. 3. Enunciationes istæ sunt planè *inustata*, ad nullum enim modum regularem reducuntur: Non sunt essentialia, nec accidentalia; Ergo sunt *Inustata*.

Q. 2. *Qualis Prædicatio sit, cum Filius Dei dicitur passus, crucifixus, mortuus?*

R. Filius Dei sumitur v. ut *concretum persona*, notans Christi personam, v. ut *concretum natura*, solum assumens verbum significans. Utrumque sumatur, tamen non est *Synechdochica*. Priori enim modo regularis est; Posteriori verò modo annumeratur propriis accidentalibus, & sic attribuitur passio Filio Dei supernaturaliter, propter unionem personalem, quæ supernaturalis est.

Q. 3. *Qualis prædicatio sit: Caro Christi est vivifica, omnipotens, omniprensens?*

R. Non sunt *synechdochica*, sed propria accidentalia supernaturalia. Non enim essentialiter, aut naturaliter, sed accidentaliter, vi unionis ista prædicantur.

De Interpretatione.

Q. 1. *An hic agendum de Interpretatione?*

R. Utique: Nam facit ad explicationem enunciationum. E. etiam in secundo Libro de ea benè agitur.

Q. 2.

Q. 2. *An necessarium sit agere de Interpretatione in Logica?*

R. Utique; Finis enim *Logica* sine hac doctrina imperfectus esset. E. &c.

De Equipollentia.

Q. 1. *An equipollentes sint: Panis est corpus Christi: & in, cum, & sub panis est corpus Christi?*

R. Quædam æquipollent æquipollentiæ v. *Formali*, quomodo prædictæ Enunciationes non æquipollent. Vel æquipollentiæ *materiali*, quæ æquipollent: Est hæc illius explicatio.

De Conversione Enunciat.

Q. 1. *An Composita Enunc. quoque convertantur?*

R. Conditionales & Disjunctivæ non convertuntur. Copulativæ & Relativæ converti possunt.

Q. 2. *Quomodo convertantur Exponibiles?*

R. 1. *Exclusivæ* subiecti h. m. *Solus Deus est adorandus*, in hanc: *Omnis qui adorandus est, est Deus*. 2. *Exceptivæ* per quod non, h. m. *Omnis homo præter Christum est peccator*, in hanc: *Quæ peccator, qui non est Christus, est homo*. 3. *Reduplicativæ* h. m. *Omne animal, quæ animal, sentit*, in hanc: *Quæ quæ animal sentit, est animal*.

De

De Oppositione Enunc.

Q. 1. An sub altera sint vera Oppositionis
Species?

R. Nequaquam: Nam opposita debent secundum
affirmationem & negationem pugnare. At subalterna
non pugnant; Sed possunt esse simul veræ vel falsæ. E.

Q. 2. An subcontraria sint vera oppositionis
species?

R. Nequaquam; Nam etiam possunt esse simul ve-
ræ, ut: *Q. homo est doctus. Q. homo non est doctus.* E.
non sunt veræ oppositionis species.

De Consecutione Enunciat.

Q. Ubi de Consecutione agendum?

R. In doctrina Syllogismorum de ea agendum non
est: Nam sine medio ex ea aliquid elicitur, quod in
Syllogismo non fit. E. in secundo Libro de ea
agendum.

F I N I S.

Ad

DN. RESPONDENTEM.

VT Sophia possis perdulces carpere fructus,
Perge labore pio, fatis & perge secundis:
Te Pallas vigilem Divis sacrabit alumnum.
Sic applaudebat

J O H. S c h ö n h a u e r M u s c h n.

S. C. A.

DISPUTATIO IV.

De

Syllogismo.

Quam

J E H O V A H juvante & fortunante,
in

Illustri Coronensium Gymnasio,
ad disputandum exhibuit,

P R Æ S I D E

M. JOHANNÉ GORGIA, P. &

R E C T O R E Scholæ Coronensis,

R E S P O N D E N S

T H O M A S R O T H M A N N, Czidensis,

Schola Coronen. Alumnus.

Ad diem 10. & 12. Junii,

horis locoq; solito.

CORONÆ,

Typis HERRMANNIANIS, mandavit

Nicolaus Molitor, Anno 1679.

NOBILISSIMO, EXCELLEN-
tissimo, *Experientissimo ac Doctis-*
simo Domino, 1210

MARTINO HERRMANNO,
Utriusque Medicinæ, ut & Philosoph.
Doctore famigeratissimo, & Archiatro Civ.
CORONENSIS felicissimo,
PATRONO ac FAUTORI colendissimo.

U. &

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ac Doctissimo Domino,
JOHANNI HERRMANNO,
Inclytæ Reipub. Pol. Civ. Coron.
CENTUM-VIRO gravissimo.
PATRONO ac FAUTORI Studioforum
solertissimo.

*Hocce primogenium specimen in singulare
subjectionis & devotionis signum
dicat, dedicat & consecrat.*

RESPONDENS.



DISPUTATIO IV.
De Syllogismo.

Q. 1. *Quomodo explicanda sit Definitio
Syllogismi?*

R. Definitum est Syllogismus, quæ vox subducere, supputare, & colligere significat. Genus est Oratio. Differentia constat reliquis verbis.

Q. 2. *An genus Syllogismi sit Oratio, an verò Ra-
tiocinatio, Discursus vel Argumentatio?*

R. Remotivè Syllogismus non est *Ratiocinatio*, nam sic idem est quod Syllogismus. At genus de eo cujus genus est, latius esse debet. Syllogismus non est *Discursus*, nam tantum Tropice dicitur de Syllogismo. At omne genus propriè dicitur & dici debet. sed Syllogismus est *Oratio*, prædicatur enim ceu Essentiale latius in Quid proximè & immediatè. Intelligitur autem Oratio tam interna primariò, quàm externa secundariò.

Q. 3. *An in Definitione Syllogismi facienda sit
mentio trium Terminorum?*

R. Affirm. Aliàs vitiosa esset Definitio, nam si trium Terminorum non sit legitima Dispositio, difficulter inferri potest Conclusio.

Q. 4. *Quomodo medius Terminus dicatur &
Medium & Terminus?*

R. Dicitur Medius, quia interjacet inter Majorem & Mi-

& Minorem. Terminus verò, quia terminat præmissas tam à parte ante, quam à parte post.

Q. 5. *Quomodo Consequentia in omni Syllogismo sit necessaria?*

R. Necessaria est Conclusio non absolute, sed respectivè, non necessitate Consequentis, sed Consequentia.

Q. 6. *An Conclusio sit pars, Effectum, vel Forma Syllogismi?*

R. Conclusio non est Forma Syllogismi. Syllogismus enim est Ens aggregativum, cujus quædam pars non potest esse Forma. Nec Effectum, est enim de Essentia Syllogismi, & constituit eundem. Ergo &c. Sed est Effectum præmissarum, & pars Syllogismi.

Q. 7. *An Deus faciat Syllogismos?*

R. Deus sui gratiâ non facit Syllogismos; sed nostri causâ hoc sapius fit, ut accommodet se captui nostro.

De Syllogismis Imperfectis.

Q. 1. *An Enthymema, Inductio & Exemplum sint Syllogismi?*

R. Enthymema, Inductio & Exemplum ratione internæ formationis perfecti Syllogismi sunt, quamvis non ratione pronounciationis externæ, ratione cujus imperfecti sunt.

Q. 2. *An Inductio & Exemplum sint Enthymemata?*

R. Non differunt ab Enthymemate; in utroq; enim una præmissarum reticetur. Ergo &c.

De Syllogismo Simplici & Composito.

Q. 1. *An dentur Syllogismi Copulativi?*

R. Utique dantur, si non affirmantes, tamen negantes, quorsumcunq; tandem reduci possint.

Q. 2. *An omnes illi Syllogismi sint Copulativi, qui habent Propositionem Copulativam?*

R. Nequaquam, nam non satis est, ut Syllogismus Compositus compositam habeat Enunciationem; sed requiritur insuper adhuc, ut modum & formam concludendi Compositorum induat, quæ à simplicium Syllogismorum forma diversa est.

Q. 3. *Quid habendum de Syllogismo Relativo?*

R. Non differt multum à simplici Syllogismo, & ut Doctrina ejus distinctè proponatur, optime ei præfens locus assignatur.

De Figuris & Modis Syllogismorum.

Q. 1. *An necessarium sit ponere tres Figuras Syllogismorum?*

R. Utique, quamvis non simpliciter, tamen secundum *Quid*, nempe ad melius esse; Multæ enim Questiones in secunda & tertia Figura commodius proponuntur quam in prima.

Q. 2. *An plures quam 3. sint Figurae Syllogif.?*

R. Non sunt plures, nam secundum hanc simplicem mediis dispositionem, omnis Syllogismus disponi potest. Ergo inutilis est quarta Figura, & contranaturalis, nam latius subjeit & strictius prædicat.

Q. 3.

Q. 3. *An vitiosi sint Syllogismi quarta Figura?*

R. Vitiosi quidem non sunt, sed superflui, innaturales & inutiles, ideoq; merito repudiantur.

Q. 4. *An Quarta Figura in Logica sit toleranda?*

R. Nequaquam, nam non est legitima extremorum & medii in subjiciendo & prædicando Dispositio. Repugnat quoque Principio Syllogismorum Regulativo; h. e. Dicto de Omni & Nullo. Neque eandem admittit legitimus Prædicandi modus. Ergò.

Q. 5. *An Syllogismi Tertia Figura, in quibus totum Minoris Propositionis Subjecti Prædicatum adest, plane pro vitiosis habendi?*

R. Disting. inter Syllogismum Manifestum, cujus Dispositio est ordinaria, directa & Simplex; & Crypticum, ut v. g. Totus Christus constat ex humanitate, & divinitate. Ergò Q. humanitas est ubique. Hi. verò Syllogismi duplicem admittunt differentiam, nam aliquando ponitur in locum Majoris ejus probatio, v. in locum Conclusionis inferendæ, ponitur ejus aliquod Confectarium, quod ex Conclusionem sequitur, & h. m. debebat inferri. Ergò Quoddam quod constat ex Divinitate & humanitate est ubique. Crypticus Syllogismus itaque apparenter non unus & simplex; sed potestate multiplex, hinc probè dignoscendus.

Q. 6. *An Expositorius Syllogismus sit verus Syllogismus?*

R. Utique, nam dispositionem veri Syllogismi habet, & expositionem tertiæ Figuræ dignam per bonam Consequentiam demonstrat, & etiamsi non dijudicetur ad Principia Syllogismi Materialia & Regulativa, pertinet tamen ad Principia Formalia & Perfectiva.

De

De Reductione.

Q. 1. *An Reductio in Logicis docenda & ferenda sit?*

R. Utique, nam Reductio est instrumentum perficiens operationem ratiocinativam in ostendendâ Consequentia evidentiâ, nam obscuritates in 2da & 3tia Figura ortas, artificiosè, observatis veræ Reductionis Regulis, tollit. Sunt quidem & Syllogismi Secundæ & Tertiæ Figuræ perfecti, non semper absolute; sed tantum in certo genere, nam in iis sufficiens est evidentiâ materiæ, sed non formæ, ratione cujus semper prima figura cæteris præfertur.

Q. 2. *An etiam in Bruta cadat syllogizandi potentia?*

R. Negatur, nam in Brutis non adest ratio seu vis discursiva ab uno ad aliud, at hæc potentia solum cadit in agentia Intellectualia & Voluntaria, at talia Bruta non sunt. Ergò. Datur quidem in Brutis prudentia, Disciplinarytas & Sagacitas, at hæc omnia tantum ceu umbra habent ad rationalitatis vim, quæ sola syllogisticè concludere novit.

De Syllogismo Necessario, præcipuè Demonstrativo & Probabili.

Q. 1. *An adæquata sit Divisio Syllogismi in Necessarium & Probabilem?*

R. Utique. Nam tertium quoddam non datur; Sophisticus autem Syllogismus est tantum æquivocè talis dictus. Ergò propriè dictæ Divisioni adjici non debet, nec potest.

Q. 2a

Q. 2. *An Syllogismus Necessarius benè dividatur in Certificativum & Demonstrativum?*

R. Utrique. Nam Necessarius benè postmodum sub dividitur in Certificativos & Demonstrativos, nam ex Necessariis Enunciationibus uterque constat.

Q. 3. *An Demonstratio bene distinguatur in Demonstrationem ΔΙΟΤΙ & ΟΤΙ?*

R. Utrique. Nam Aristoteli omnibusque ejus Interpretibus hæc divisio placet. Latè tamen sumptò Vocabulò Demonstrationis. Si verò strictè sumatur Demonstratio ΟΤΙ, quæ fit ex effectu, non habetur pro bona Demonstrationis specie, nam est tantum analogi generis divisio in sua analogata.

Q. 4. *Quos requirantur ad Demonstrationem?*

R. Tres Termini requirantur, ut Terminus Minor sit Subjectum, Medius causa, Major affectio, atque ita, ut affectio demonstraretur inesse Subjecto per causam proximam & immediatam.

Q. 5. *An omnis Demonstratio requirat causam propriè sic dictam, & affectionem à Subjecto realiter distinctam?*

R. Disting. inter Demonstrationes quæ sunt in rebus Prædicamentalibus, & quæ sunt in Transcendentalibus. Illæ dicuntur Demonstrationes communiter, & requirunt causam propriè dictam, & affectionem à Subjecto realiter distinctam, hæc verò non.

Q. 6. *An dantur Demonstrationes Negativæ?*

R. Demonstrationes propriè Negativæ non possunt dari, nam Negativæ non dicunt aliquid inesse Subjecto; sed negant aliquid. Item; Negatio nihil demonstrat. Ergò non dantur Demonstrationes Negativæ.

Q. 7.

Q. 7. *An Doctrina Sophistica prole trahatur in Logica?*

R. Utrique. Nam sicut Rosa non est sine spinis; sic nec Ars sine navis; & quidem ea non tam inculcatur, propter Logicam, quam propter Logicum, ut is quidem Disputare possit meliùs, judicare accuratiùs, & sibi cavere subtiliùs. Hinc itaque etiam agitur de Syllogismo Sophistico, non ut nos fallamus, sed ut fallendi artes subtiliter evitemus.

MANTISSA.

Q. *An Definitio S. Cæna in Libellis Catecheticis Lutheranorum proposita Regulis De Definitione Logicis sit consentanea?*

R. Utrique, 1. nam ab omnibus Orthodoxis semper cum applausu est recepta, & juventuti in Scholis nullo contradicente inculcata est, & consentit cum Canone Philosophorum. Quod major pars definit, prævalet. 2. Non tantum B. LUTHERUS, sed etiam ante eum Patres & Scholastici, quam plurimi ita definiverant: IGNATIUS ita: *Sacramentum est corporale v. materiale Elementum foris sensibiliter propositum.* LOMBARDUS lib. 4. Sentent. *Sacramentum est visibilis forma invisibilis gratia.* Quod si igitur hi Authores non sunt reprehendendi, E. etiam B. LUTHERUS à culpâ immunis est.

An Methodus nature ubiq; sit observanda?

R. Neg. 1. nam mens nostra in ordine Naturæ nondum acquiescit, sed ultra progreditur. 2. quia si Methodus omnis ab ordine rerum Naturali desumenda foret, sequeretur nullum dari ordinem nisi Syntheticum.

Consequentia est manifesta, nam in omnibus disciplinis
Simplicia & Principia naturâ priora sunt Compositis v.
effectis. At hoc esse falsum ex comûni Philosophorum
Sententia patet, quia artes effectrices omnes resolu-
tiori ordine tradendas esse statuunt. 3. Quia & Aristo-
teles hoc testatur lib. 3. Metaph. non semper in Disci-
plinis Principium cognitionis esse etiam Principium
Rei. Et lib. 1. de morib. c. 4. inquit: *Nihil aliud esse*
respiciendum, nisi ut à notis incipiamus, non consideran-
do an sint Principia rei, nec ne? quare jubet ordinem
cognitionis servandum esse, non verò naturæ ordinem.
Probè tamen distingvendum inter Vocem Methodi, quæ
tripliciter sumitur. 1. Significat nihil aliud quàm Sci-
entiam sive Disciplinam, idq; propterea quia utuntur
Methodo. 2. Significat Processum, in quo ex unius
Cognitione deducimur in cognitionem alterius. 3. Sig-
nificat Processum continentem ordinem s. dispositio-
nem partium tractationis, quæ Sign. est hujus loci. It:
Dist. inter *Methodum natura*, quæ est v. *Perfectionis*,
cùm à perfectioribus ad minùs perfecta progredimur,
& juxta hanc Substantiæ priores sunt accidentibus. Ita
& Substantiæ à materia sejunctæ sunt priores Substan-
tiis cum materiâ conjunctis, item Tota partibus, Spe-
cies generibus; *vel generationis*, cùm à minùs perfectis
progredimur ad perfectiora, ubi causæ priores & No-
tiores effectus sunt; & *Doctrina*, qui facilitatem sequi-
tur, non attento ordine perfectionis s. Dignitatis &
generationis, ubi facilima sunt prima & ea quæ faci-
unt ad rei cognitionem, si non semper in gradu
perfecto, sufficit dummodò in im-
perfecto.

F I N I S.

DISPUTATIO V.

De
Doctrina

Topica.

Quam

DEO Ter Opt. Max. adjuvante,

in

Illustri Coronensium Gymnasio,

PRÆSIDE

M. JOHANNÉ GORGIA, P. &

RECTORE Scholæ Coronensis,

Eruditorum Examine subjecit

RESPONDENS

MARTINUS JECKELIUS, *Purimontanus,*

Scholæ Coronen. Alumnus.

Ad diem 17. Mensis Junii,

horis locoq; solito.

CORONÆ,

Typis HERRMANNIANIS, mandavit

Nicolaus Molitor, Anno 1679.

VIRO
PRÆSTANTISSIMO, AM-
plissimo, ac Literatissimo,

Dn. P E T R O
P L E C K E R O,
U. J. STUDIOSO POLI-
T I S S I M O,

Uti &
Inclytæ Reipub. Pol. Civit. Coronen.
CENTUM-VIRO gravissimo.

Dn. PATRONO, FAUTORI & Benefactori
meo largissimo, pro tot cumulatis hastenus in
me beneficiis, in perpetuum debitz gra-
titudinis *Tekmerion*,

*Primam hancce Studiorum meorum ge-
mellam propino & offero,*

S. P. Subiectissimus

R E S P O N D E N S.



DISPUTATIO V.
De Topica.

Q. I. *An de Topica in Doctrina Terminorum
agendum?*

R. Non hic quidem præcisè agitur de Syllogismo tantum Topico, sed quat: primam & secundam & tertiam mentis operationem complectitur: nam est medium primæ mentis operationis, hinc enim ceu ex prima conda omnes suam Termini sumunt explicationem, probationem, & decisionem. Tradit n. Topica Doctrina modum rectè accommodandi commune Principium ad Conclusionem de re particulari, sive monet, ut non sine discrimine in quibusvis Quætionibus id applicemus: nam sapius malè accommodata limitatione tota res corrui, quoniam Universalia Principia directè & legitimè ad particularia sunt accommodanda.

2. Dicuntur autem hæc Principia *Topica*, quia ex locis quibusdam depromuntur, & *Dialectica*, quia ad differendum tantum; non ad demonstrandum valent. Et propterea dicuntur *Locis*, & sunt sedes Argumenti sive Principii, cujus Veritas in Universali Disciplina explicatur, quodque ibi explicatum transfertur ad particularem materiam, unde etiam Logica dicitur *Anticilla Philosophia*. Tandem hæc Doctrina tota est quasi arca loculata, ut ex quovis loculo possimus desumere pro rei materia nobis *pharmacum & nutrimentum* ceu *fulci-*

fuleimentum, ad stabiliendam nostram materiam quam defendimus probabilem. Omnis n. Canon hic mihi quasi naturaliter constituit Propositionem, aut verò ad Minoris probationem commodissimè applicatur.

Q. 2. *An ex Topicis probabiliter duntaxat, an verò Apodicticè etiam disputare possimus?*

Ita videtur propter quædam Exempla, sed hic semper probè distingvendi sunt loci Topici, prout ex distinctis Disciplinis huc solent transferri. Topica n. in materiis reliquarum Disciplinarum Apodicticè quidem concludit, sed ceu ex materia aliena, propriam verò sibi semper tenet probabilitatem, ut *Hornam* in Disput. Log. X. pluribus videri potest.

I. DE DISTINCTIONE

HOMONYMORUM.

1. *In omni rerum consideratione sit prima Vocis distinctio. Unde etiam orta Reg: Qui bene distingvit, bene docet.*
2. *Termini accipiendi non ut liber, sed ut per Usum licet, & mens Authoris requirit.* Hinc si aliquis non vult falli, noviter excogitatos terminos, & à Philosophis nondum receptos, non tamen sine rationibus rejiciet.
3. *A Proprietate Verborum sine evidente & urgente Necessitate recedendum non est, quod contra eos, qui sine causa etiam in re nihil significante Tropos quærun, tenendum.*
4. *Cui competit nomen, ei & res nomine notata convenit.* Scilicet cui competit nomen verè, propriè, & ex instituto Divino v. Communi humano, ei & res com-

competit. Non itaque competere debet nomen apparenter, improprie, & ex instituto humano particulari. Sic dicuntur Pharisei sancti, sed sanctitate solum apparente.

II. DE ETYMOLOGIA ET NOTATIONE.

1. *Non omnium Terminorum quærenda est Notatio.*
2. *Notatio illustret, non obscuret rem.* ut quando Lapis derivatur à Lædipes, nulla est.
3. *Cui non convenit notatio, ei nec nomen, nec res nomine notata convenit.* Et iste intell. de Not. veris & adæquatis, h. m. *Non studet, E. non est Studiosus.*
4. *Cui convenit notatio, ei & nomen & res nomine notata convenit.* Valet & iste Canon de vera & adæquata, non verò de fictis & Inadæquatis notationibus.

III. DE CONJUGATIS.

1. *Posito uno Conjugatorum, ponitur & alterum.* Posito uno Conjugatorum, *habituali & generali* vid. ponitur etiam alterum, verum scil. ut in his: *Homo pius est, E. pius agit.* Fallit verò in his: Posito uno Conjugatorum, *actuali & speciali* tantum, ponitur m. alterum. Sic non valet: *Tyrannus piè agit honorando Patrem, E. pius est.*
2. *Sublato uno Conjugatorum, tollitur etiam alterum.*

Sic benè concludo: *Pietatem non exercet, Ergò pius non est.*

3. Quod de uno Conjugatorum affirmatur vel negatur, id quoque de altero affirmatur vel negatur.

Valet quâ attributa realia, ut in his: *Peccator Deo non placet, E. nec peccatum.* Non verò valet, quâ attributa materialia & notionalia, ut in his: *Pietas est gen. Fœmin. 3. Decl. E. & pius est Fœm. 3. Declin.*

IV. DE METALEPSI

TERMINORUM.

1. Pro voce propter insolentiam obscurâ, substituenda usitata.
2. Vox peregrini Idiomatis mutanda est in nativam.

Sic, si quis Terminum aliquem ignotè proferat, ut eundem explicet, tenetur.

3. Quæ voces idem significant, illæ eandem habent consequentiam.

Sic rectè concludo: *Angeli non circumrotant Orbem Cœlestes, E. neq; Intelligentia.*

V. DE DEFINITIONE.

1. Definitio sit notior Definito.

Notitiâ distinctâ vid. non necessariò confusâ.

2. Definitio neq; sit latior neq; angustior Definito.

Definitio scil. propriè sic dicta. Si enim est latior, non explicat essentiam Definito propriam, d. illam tantum, quam habet cum aliis communem. Si verò angustior, tum minùs dicit quàm ipsa dicere debet. Cum

definitione Comuni alia est ratio. Hæc latior est cum suo definito, singulis inferioribus singularim sumptis, v. g. Definitio Generis est latior Specie qualibet, quia non de unâ tantum, sed de omnibus dici potest.

3. Definitio sit brevis, perspicua, & propriis verbis informata.

Brevis scil. quando nihil superflui habet. Perspicua, quando constabit verbis usitatis, claris, perspicuis, & nullâ ambiguitate foedatis.

4. Differentia constet genere proximo & Differentiâ specificâ.

Perfecta scil. Definitio. 1. si non semper strictè, tamen per analogiam. 2. Si non semper genere explicito, tamen implicito.

5. Ubi latet Differentia specifica, ibi substituantur propria.

6. Nihil definiri potest, nisi quod per se & directè est in Prædicamentis.

Definitione perfectâ, Logicâ videlicet.

7. Cui competit Definitio, ei convenit & Definitum.

Intelligitur de Definitione verâ & adæquatâ Canon. Sic benè concludo: *Mulier est animal rationale, E. est homo.* Fallit verò, si Definitio sit falsa v. inadæquata.

8. Cui non competit Definitio, ei nec Definitum convenit.

Et hic Canon intelligitur de Definitione verâ & adæquata, & si Definitum sumatur propriè. Sic valet: *Angelus animal rationale non est, E. homo non est.*

VI. DE GENERE, DIFFERENTIA ET SPECIE.

1. Quicquid dicitur de Genere, illud dicitur m. de singulis eius Speciebus.

Valet Regula de iis acceptis, quæ de Genere, 1. materialiter, 2. universaliter, dicuntur. v. g. *Animal est corpus. E. & homo & canis sunt corpora sentientia.* Fal- lit verò Regula de iis acceptis, quæ de Genere dicuntur 1. formaliter, 2. particulariter, ut in his: *Animal est visibile. E. & canis est visibile.*

2. Posito Genere, non necessum est ponere determinatam Speciem.

Aliquam ponere necessum, sed non determinatè hæc vel illam. Sic benè concl. *Animal est. E. v. bos v. canis:*

3. Sublato Genere, tolluntur omnes Species.

Genus n. dat esse suis Speciebus. Sublato jam essentialiter constituyente, tollitur & ipsum constitutum. Sic valet: *Animal non est. E. neq; homo, neq; bos, neq; canis, neq; Leo est.*

4. De quo negatur v. affirmatur differentia, de eo negatur v. affirmatur res ipsa.

Valet Canon de differentiâ specificâ & verâ intellectu. Differentia n. specifica dat esse rei. Sic benè concludo affirmativè: *Concupiscentia repugnat Legi. E. est peccatum.*

5. Positâ Specie, ponitur Genus.

Si non quâ latitudinem prædicandi; tamen quâ essentialitatem. Tota n. Generis natura continetur in quavis Specie. v. g. benè concludo: *Homo est. E. animal est.*

VII. DE DIVISIONE.

1. Membra Divisionis non sint subordinata d. opposita.

1. Si non materialiter; tamen formaliter. 2. Si non re; tamen ratione.

2. Membra Divisionis exhauriant totum Divisum.

Prout in Trichotoma divisione Logices fit, quando dividitur secundum tres mentis operationes.

3. Partes dividentes non evertant naturam Totius.

Sic si aliquis Adulterium divideret in licitum & illicitum, frivola esset Divisio.

4. Divisio fiat in membra proxima & immediata.

Sciendum v. aliud est *dividere*, & aliud *subdividere*.

VIII. DE TOTO & PARTIBUS.

1. Posito Toto ponuntur omnes partes.

Valet 1. de partibus principalibus; non verò minùs principalibus. 2. De esse totius respectivo; non absoluto. Sic benè concl. *Homo est. E. habet animam rationalem & corpus.* Malè verò: *Homo est, E. habes pedes, digitos.*

2. Sublato toto tolluntur omnes partes.

Non quidem ut non sint, sed ut saltem actu non constituent, ut quando homo moritur, amplius non habet animam, quæ hominem constituat.

3. Positis omnib. partibus ponitur & totum.

Valet 1. de partibus quæ debito modo unitæ sunt, non

non de divisis. 2. de partibus formaliter, non materia-
liter spectatis.

4. Sublatâ parte aliquâ tollitur Torum.

Valet 1. De Toto respectivè, non absolutè confide-
rato. 2. De parte principali; non minùs-principali,
quæ ipsum totum saltem mutilat.

5. Quod est Partis illud etiam est To-
tius secundùm illam partem.

Valet iste Canon, quoad illa quæ partium sunt ma-
terialiter, ut in his: *Oculus videt. E. homo videt.* Fal-
lit verò quoad illa, quæ partium sunt formaliter, ut in
his: *Partis est constituere Totum. E. & Totius est consti-
tuere Totum.*

IX. DE MATERIA & FORMA.

1. Sublatâ materiâ, tollitur res ipsa.

Valet 1. De materia permanente; non transeunte.
2. De materia constitutionis; non generationis.

2. Positâ formâ, ponitur res ipsa.

Valet hoc de forma essentiali; non accidentali. Seu:
Positâ formâ in actu formali, ponitur res ipsa.

3. Sublatâ Formâ, tollitur res ipsa.

Valet de forma essentiali; non accidentali. Sic va-
let Concl. *Animam rationalem non habet. E. homo non
est.* Malè verò: *Hic doctus non est. E. nec homo.*

X. DE CAUSA EFFICIENTE.

1. Positâ causâ, ponitur effectus.

1. Valet de causa in actu causalitatis s. respectivè, non
in actu essentia simplicis s. absolute, 2. De causa sibi re-
lictâ, non impeditâ.

2. Sublatâ causâ, tollitur effectus.

Valet de effectu *producendo*, non *producto*. 2. Quo-
ad *Internas Causas*, materiam vid. & formam. Quoad
Efficientem verò, valet tantùm de effectibus qui à Cau-
sâ dependent in esse & fieri semper & necessariò.

3. Qualis causa, talis effectus.

Valet 1. de causa & effectu ejusdem natura specifica.
2. Quoad *necessaria & naturalia*. Ut in hoc: *Pater est
rationalis. E. & Filius.* Fallit verò 1. de causa & effe-
ctu *diversa natura specifica*. 2. Quoad *Contingentia
accidentalia*, v. g. *Pater est Doctor. E. & Filius.*

4. Causa causæ, est etiam Causa Causati.

Valet in *Causis per se & essentialiter subordinatis*. Fal-
lit in *causis per accidens & accidentaliter subordinatis*.
Sic non valet: *Deus est causa voluntatis. Voluntas est
causa peccati. E. & Deus est causa peccati*, quia Voluntas
est tantùm Causa peccati per Accidens.

5. Nulla Causa agit ultra vires suas.

Naturaliter scilicet. Supernaturaliter a. & virtutes
alienâ soepè causa agit aliquid, non autem propriis vi-
ribus, sed virtute divinâ.

XI. DE CAUSA FINALI.

1. Finis primus est intentione, ultimus
executione.

2. Qualis finis, talia sunt & media.

Valet quoad media 1. *per se*, 2. *indifferentia*, salvo
bono agendi modo. Sic valet: *Finis Studiorum est gloria
Dei. E. sunt bona.* Fallit verò, quoad med. 1. *per ac-
cidens*. 2. *mala tantùm*. 3. *labefacturo bonè agendi mo-
do*. ut in hoc: *Petrus furatur, ut faciat Elemosynam.*
E. furtum est bonum, quia furtum esse destruit bonum
agendi modum.

3. Qui vult finem, vult etiam media ad finem ordinata.

Valet Canon 1. de *mediis per se*; non *per accidens*. 2. de *voluntate efficaci*; non *inefficaci*. 3. de *jure*; non *de facto*. Sic Voluntas de jure vult media necessaria, & per se ad finem ducentia.

4. Negatō fine, negantur & media ad finem ducentia.

Negantur media *per se* scilicet & *necessaria*. Sic non valet: *Non est doctus. E. non studuit*. Media verò non *necessaria* & *per accidens*, non necessariò tolluntur ad negationem finis. Sic non valet: *Non est doctus. E. non habuit libros, Præceptores*.

XII. DE EFFECTU.

1. Posito Effectu, ponitur & Causa.

Posito effectū 1. Si non *in fieri*, tamen *in facto*. 2. Si non *tempore præsentis*, tamen *in præterito*. Sic bene concludo: *Filius est. E. Patrem habet, vel habuit*.

2. Negato Effectu, negatur & Causa.

Non secundum esse *absolutum* d. secundum esse *respectivum* ratione actus videlicet *efficiendi*. Sic valet: *Ante 6000. annos mundus non fuit. E. Deus Creator non fuit*. Valet de *Effectu necessario*; non *contingenti*.

3. Qualis Effectus, talis & Causa.

Valet 1. de *Causis ejusdem natura specificæ cum effectū*. 2. quoad *naturalia*. 3. qua *utriq; necessario & per se insunt*. 4. De *realibus* non *notionalibus*. Sic valet: *Filius est rationalis. E. & Pater est rationalis*. 1. Fallit de *Causis diversæ natura specificæ ab effectū*. 2. quoad *Contingentia*. Sic non valet: *Creatura est finita. E. & Deus est finitus*. 4. Nihil

4. Nihil est in Effectu, quod non fuerit in Causis.

Essentialiter scilicet & *per se* nihil est in effectū, quod non fuerit in *causis v. formaliter, vel virtualiter, vel eminenter*. Sic non valet: *Filius est Doctor. E. & Pater fuit Doctor*. Doctorem enim esse est tantum *accidentale* quiddam & *contingens*.

XIII. DE SUBJECTO & ADJUNCTO.

1. Posito vel negato Subjecto, ponuntur vel negantur Adjuncta.

Valet Canon de *Adjunctis propriis & necessariis*; Fallit de *communibus & contingentibus*. Sic valet: *Cælum est Corpus. E. est quantum*. Sic non valet: *Homo est. E. albus, doctus, pius est*, quia hæc tantum sunt *adjuncta contingentia*.

2. Positis vel negatis Adjunctis, ponuntur vel negantur Subjecta.

Valet Canon de *Adjunctis propriis & necessariis*. Sic enim valet: *Christus est æternus. E. est Deus*. De *Communibus v. & contingentibus* fallit. Sic non procedit: *Album non est. E. paries non est*. Quia album esse est tantum *contingens*.

XIV. DE ANTECEDENTIBUS, CONSEQUENTIBUS & CIRCUMSTANTIIS.

1. Positō Antecedente, non necessariò ponitur Consequens.

Valet Canon de *Antecedente contingenti*; non *necessario*. 2. Sub-

2. Sublatô Antecedente, tollitur & Consequens.

Valet de *Antecedente necessario*, ut in his: *Arbores non floruerunt. E. non ferent fructus.* Fallit de *Antecedente contingenti*, ut in his: *Cælum vesperi non suis rubicundum. E. cras non erit serenitas.*

3. Positô Consequente, ponitur & Antecedens.

Antecedens ponitur *necessario necessario*, ut in his: *Dies est. E. Aurora præcessit.*

4. Positis omnibus Circumstantiis, probabile est rem ipsam esse.

Valet Canon de omnibus *Circumstantiis necessariis*; non *contingentibus*.

XV. DE SIMILI & DISSIMILI.

1. Omne Simile est etiam Dissimile.
2. Similitudo non tam probat, quàm illustrat.

Valet de *similibus prophanis*; non verò de *similibus Sacris*.

3. Quod verum est de uno Similium, verum etiam est de altero.

Valet hoc de *Similibus totalibus*; non *partialibus*.

4. Dissimilibus dissimilia conveniunt.

Intelligendus est Canon de dissimilibus secundum *eundem respectum*; secundum *diversum respectum* minime.

5. Si-

5. Similitudo non extendatur ultra scopum suum.

XVI. DE COMPARATIS PARIBUS & IMPARIBUS.

1. Quod de uno parium affirmatur v. negatur, id & de altero affirmatur v. negatur.

Valet de *paribus veris & quæ paria sunt*. Sic valet: *Pater est honorandus. E. & Mater est honoranda.* Fallit verò de *apparentibus*, & si extendantur *ultra paritatem*, ut in hoc: *Pater est caput Familia. E. & Mater*, quia in hoc Pater & Mater non sunt paria.

2. Si id non est, quod verisimilius est, nec id erit, quod minus verisimile est.

Sic valet in *subjecto habili*. Sic valet: *Puer non studuit Grammaticam. E. multò minùs Rhetoricam.*

3. Si id est, quod magis verisimile est, tunc & id erit, quod minùs verisimile est.

Prior limitatio hie quoq; attendenda est.

XVII. DE OPPOSITIS ET DISPARATIS.

1. Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur etiam alterum.

Sic quot modis dicitur *Justitia*, tot modis dicitur *etiam injustitia*.

a. Oppo;

2. **Opposita non possunt simul esse
in eodem Subjecto.**

Accipiendus est Canon 1. de *Subjecto proprie dicto.*

2. de *Subjecti eadem parte.* 3. de *oppositis proprie dictis.*
4. de *uno eodemq; tempore.* 5. de *uno eodemq; respectu.*
Addunt pleriq; 6. quòd opposita non possint esse in eodem Subjecto in gradibus summis, possint autem in gradibus remissis.

3. **Cogitò unò Oppositorum, cognoscitur etiam alterum.**

Notitià si non semper distinctà, tamen necessario confusà. Sic qui scit quid sit Ens, ille scit etiam quid sit non-Ens.

4. **Contraria juxta se posita magis elucescunt.**

5. **Oppositorum contraria est ratio.**

Scilicet quà oppositorum. Sic Ens & non-Ens sibi opponuntur.

6. **De quo affirmatur unum Oppositorum, de eo negatur alterum.**

7. **Non statim de quo negatur unum Oppositorum, de eo affirmatur alterum.**

Non de contrariis immediatis; sed mediatis sonae vel valet Canon.

XVIII. DE TESTIMONIO.

1. **Qualis Testis, tale est Testimonium.**

Valet Canon, si Testimonium per se; non semper si per accidens consideretur.

2. Te-

2. **Testimonium Divinum praevalet
omni rationi & auctoritati.**


Prævalet omninò Testimonium Divinum, ita si rectè intelligatur, & si non in perversum sensum detorqueatur.

3. **Antiquissimum quodque verissimum.**

Verè scilicet & simpliciter antiquissimum.

4. **Sapientum Auctoritas rejicienda non est.**

Temerè scilicet rejicienda non est. Si verò ipsi rationi contrarietur, rejicienda utique, & veritas amplexanda est.



U S U S

in Topico Examine sic proceditur.

v. g. tò **H O M O**, sit Exemplum.

1. *Ab usu Vocum.* Sic arg: Cui non competit nomen, ei nec res nominis. At brutis non competit nomen hominis. E. etiam non sunt homines.

2. *Ab Erymologia.* Sic arg: Cui non competit notatio nominis, ei nec nomen. At avibus non competit notatio hominis. E. nec sunt homines.

3. *A Conjugatis.* h. m. Quod de uno Conjugatorum affirmatur vel negatur, id probabile est etiam de altero affirmari v. negari. Sic homo modestus laudatur. E. & modestia est laudabilis. Avaritia non est virtus. E. nec avarus virtuosè agit.

4. *A Mea*

4. *A Metalepsi.* h. m. Quæ voces idem significant, illæ eandem habent Consequentiam. Sic homo, & animal rationale idem significant. E. & per Conseq. Si homo est risibilis. E. & antecedens rationale est risibile.
3. *A Definitione.* Cui competit definitio, eidem etiam definitum. v. g. Iste est animal rationale. E. est homo. Sic & Negativè. Hoc non est animal hinnibile. E. nec equus.
6. *A Genere, Specie, Differentiâ.* h. m. Quod universaliter inest speciei, id etiam omnibus individuis rectè tribuitur. Sic omni homini inest risibilitas. E. & Petro, Paulo, &c. Et quod universaliter negatur de specie, &c. ut: Nullus homo est lapis. E. nec Saxo, nec qui vivit in Germania, America. *Similiter,* quod universaliter affirmatur de genere, dicitur etiam de quavis specie. h. m. Corpus vivit & sentit. E. etiam est animal. Item. De quo negatur v. affirmatur differentia, de eo negatur vel affirmatur res ipsa. h. m. Huic animali competit differentia hominis rationalitas. E. etiam res ipsa, quod sit homo.
7. *A Divisione.* h. m. Mala est divisio, ubi partes dividendes evertunt naturam totius. E. homo male dividitur in rationalem & irrationalem.
8. *A Toto & Partibus.* h. m. Positò totò, ponuntur ejus quoque partes, & Sublatò totò, &c. h. Positò homine. E. habet caput, pedes, & animam rationalem. Item: Iste non ampliùs est homo. E. ei definit anima. Et sic per omnes Canones.


9. *A Ma-*

9. *A Materia & Forma.* Sublatà Materiâ rei propriâ, tollitur res ipsa. Sic: Non habet corpus humanum. E. non est homo. Sic & sublatà Formâ, tollitur res ipsa. Sic: Non habet animam rationalem. E. non est homo.
10. *A Causa Efficiente,* h. m. Positâ Causâ ponitur Effectus. Positò quòd hic sit filius hominis. E. & ipse homo erit.
11. *A Causa Finali.* Qui vult finem, vult etiam media. h. m. Hic homo vult eruditionem. E. velit etiam sedulos labores, necessum est: Nam Dii sua dona laboribus vendunt.
12. *Ab Effectu.* Positò Effectu; ponitur & Causa, quæ adhuc modo est v. fuit. h. m. Homo est effectum. E. habet Causam. Hic homo est doctus. E. fuit diligens.
13. *A Subjecto & Adjuncto.* Positò Subjectò, ponitur Adjunctum necessarium & Essentiale. h. m. Est homo. E. etiam est risibilis. Et contrâ, Non est homo. E. nec risibilis.
14. *Ab Anteced. & Conseq. Circumstantiis.* Sublatò Antecedente, tollitur Consequens. h. m. Hic Homo non dat operam studiis. E. non erit vir doctus. Sic quoq; Positò Antec. non est necesse poni Consequens. v. g. Hic puer incipit esse diligens. E. erit vir doctus, non sequitur.
15. *A Simili & Dissimili.* Quod valet in uno Simili, id quoq; valet in altero. v. g. Iste homo laudatur ob egregiam Philosophiæ notitiam. E. est strenuus cultor Platonis. &c.

16. *A Cons-*

16. *A Comparatis Paribus & imparibus.* Quod de numero parium affirmatur vel negatur, id probabile est etiam de altero affirmari vel negari. h. m. Pater est honorandus. E. Mater est honoranda. Item: Magistratus non est spernendus. E. nec Praeceptor.
17. *Ab Oppositis.* Cognito uno Oppositorum, cognoscitur & alterum. Si non semper distinctè, saltem confusè. Sic, si quis scit quid sit album, scit etiam quid sit nigrum.
18. *A Testimonio.* Qualis testis, tale etiam est testimonium. h. m. Iste homo nullius est fidei. E. etiam nullius testimonii.

F I N I S.



Quod primum Logica studium nunc edere tentes
 Approbo, cum fiat viribus ex propriis.
 Hoc posthac ut idem facias, strenuè moneo te,
 Et quo coepisti pergere, perge pede.
 Confundes sic enim pravos falsosq; Sophistas,
 Ac tibi perpetuum nomen honore strues.

Amoris & honoris ergò scribebat
 hæc ornatissimo Dn. Resp.
 Amico singulariter dilecto,


GEORG. REITTER, Coron.
 p. t. Schola ejusdem Praefectus.



Catalogus Librorum meor.

I, Latini et Graeci		R.	Xr
1	Sartorii Compendium Theologiae ^{Dono accep. Fra.}		
2	Institutiones Linguae Hebraeae	1.	38.
3	Veissmanni Lexicon bipart.	6	
4	Thesaurus Dissertationum.		
5	Harles Anthologia Graec.	2.	
6	Ernesti Initia Rhet.		48
7	Reussi Theologiae Moralis		18 Lg.
8	Fundamenta Aevi Cultioris		26 Xr.
9	Aesopi Fabulae, 2, Propertius.		12
	3, Epistolae Ciceronis Lib. IX, 4 Paradoxum.		3.
10	Enthusiasmus Veterum Sophistarum.		6.
11	Liber de Latinitate.		12
12	Ciceronis Epistolae ad Atticum. Br. Fra.		13.
13	Statius		6.
14	Aristotelis Ethicorum.		12.
15	Macrobius.		5.
16	Laurea Francisco Eugenio		
17	P. Terrentii Comediae.		
18	Ertemata Juris Canonici.		6.
19	Diatribae de Enthymis Veterum Sophistarum et Oratorum.		3.





16. *A Comparatis Paribus & imparibus.* Quod de numero parium affirmatur vel negatur, id probabile est etiam de altero affirmari vel negari. h. m. Pater est honorandus. E. Mater est honoranda. Item; Magistratus non est spernendus. E. nec Praeceptor.
17. *Ab Oppositis.* Cognito uno Oppositorum, cognoscitur & alterum. Si non semper distinctè, saltem confusè. Sic, si quis scit quid sit album, scit etiam, quid sit nigrum.
18. *A Testimonio.* Qualis testis, tale etiam est testimonium. h. m. Ille homo nullius est fidei. E. etiam nullius testimonii.

F I N I S.

Quod primum Logica studium nunc edere tentes
 Approbo, cum fiat viribus ex propriis.
 Hoc posthac ut idem facias, strenuè moneo te,
 Et quo coepisti pergere, perge pede.
 Confundes sic enim pravos falsosq; Sophistas,
 Ac tibi perpetuum nomen honore strues.

Amoris & honoris ergò scribebat
 hæc ornatissimo Dn. Resp.
 Amico singulariter dilecto,

GEORG. REITTER, Coron.
 p. t. Schola ejusdem Praefectus.



Catalogus Librorum meor.

I, Latini et Graeci		Cl.	Xr
1	Lartorii Compendium Theologiae		
	gide dono accep. Fra.		
2	Institutiones Linguae Hebr. Sch.	1.	38.
3	Weismanni Lexicon bipart.	6	
4	Thesaurus Dissertationum.		
5	Harles Anthologia Graec.	2.	
6	Ernesti Initia Rhet.		48
7	Reussi Theologia Moralis		18 Lig.
8	Fundamenta Aylis Cultioris		26 Xr.
9	Aesopi Fabulae, 2, Propertius.		12
	3, Epistol; Cic: Lib. IX, 4 Paradoxum.		
10	Enthusiasmus Vel: Sophistae:		3.
11	Liber de Latinitate.		6.
12	Ciceronis Epist. ad Attic: Br. Fr.		2
13	Stadius		13.
14	Aristotelis Ethicor:		6.
15	Macrobius.		12.
16	Laurea Francisco Eugenio		5.
17	P. Terrentii Comediae.		
18	Ertemata Juris Canonica:		6.
19	Diatribae de Enthj. Vel: So. et Orator.		2.



20. Doctrina de Accentibus Hebr.
21. Biblia Hebraica non puncta.
22. Lexicon philosophicum.
23. De Applicatione Cognitionis
Affectuum et processum Cod. sac.
24. Epitome Cilloquii.
25. Cornelii Taciti Historiarum et An-
nal. Libri.
26. Laurentii Vallae elegantiarum
latinae linguae Libri 6.
27. Adagiorum Erasmi Roto-
rodami Epitome.
28. P. Terentii Comoedia Sex.
29. Praecepta Syntaxeor.
1, Cicer. Epist. Fam. Lib. 8. 26
2, Cato major de Senectute.
3, Ovid. Nason. de Pontico Lib. 3
4. Valeri Catulli Poematum
s. 1. Agapetus Diaconus de Off. 12
30. Q. Sabinii Poemata. 15
31. Theophrastus Elegantiarum Ad. Ma-
nutii 12
32. Palingeni Zodiacus Vitae. 12
33. Orbis Pictus. 12

34. Lucii Flori gesta Romanorum. 12
2. Sextus Rufinus. 12
3. Pomponii Melae De Situ or-
bis libri tres. — —
35. Terentius Christianus.
36. Novum Testamentum Lat.
37. Erasmi Roterod. Colloquia.
38. Baumisteri Institutiones Philo-
soph. Nat. et Mathematicae. 17
physicae.
39. Baumisteri Philosoph. Definitiva 12

11.

Französ. Bücher.

№. 20

Verzeichn. aller Buchverzeichn.
 von Johann Joseph


№. 20

1.)	Inn. Gesellsch. einer moral. No. von J. J. 1. u. 2. Theil	15
2.	Französ. Bibel.	
3.)	Philos. Religion d. Universalien	34
4.	Kurze Geographie für Kinder	15
5.	Erleichterte Hebräischer Grammatik	12.
6.	Französischer Grammatik.	-
7.	Italiänischer Grammatik	-
8.	Lehrb. d. Naturwiss. in d. Naturg. Schrift.	-
9.	Kurzge. Auszug der Kunstschreib.	-
10	Kurzge. d. Buchschreib. in d. Schrift	-
11.	Handb. Instrument.	-
12.	Handb. d. Schrift.	-
13,	Lehrb. zum Vergrößer. des Verstandes. 4 Bände 1783.	2 32.
14	Handb. d. Osmanischen Sprache	9
15	Lehrb. zum Vergrößer. des Verstandes 1ster Band	41
16	- 2ter Band -	41
17	- 3ter Band -	41
18	- 4ter Band -	41
19	Lehrb. d. Magazin über d. Zeit	

Res notatu Digno. No 1782.

Comes Nation: Sax: d: 2. Octobr. Schab:
Episcopus Cathol: d: 7. Octobr. Schab: fuis
Stephan: Christi: Simonis d: 8 Octobr. obiit





At the ...
of ...
the ...

...

o

o

